70 c.

Cam

1892. I. 77.

Casimirus a S. Josepho
~~Krzywański~~ Schol. Piar.

Casimirus a S. Josepho (Krzywański)
pierwotnie w zakonie Piarów, a r. 1733
Maryanów?

(rzadkie i nieznane dziełko)

VESTIGIA
Æternæ Fælicitatis, ad Terminum
SACRIS PROGRESSIBUS
SS.^MI IGNATIJ
EPISCOPI, ET MART.
T R I T A,
Avitæ SOLEÆ Illmi, ac Rmi DOMINI
IGNATIJ LASOCKI
Archidiaconi Cujavienſis, Canonici Culmenſis, & Varſavienſis J. U. D. &c.

P R O P O S I T A

In Recognitionem Obſequii ſui,

A' PATRE FR. CASIMIRO
A SANCTO JOSEPHO

Ordinis Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis MARIÆ Congregationis Polonæ.

D E D I C A T A.

ROMÆ, 1733. Typis Joannis Zempel.
SVPERIORVM PERMISSV.



Illme, ac Rme

DOMINE.

SAcræ vestigia vitæ Tutelaris Sanctissimi, quæ præsens Alma in Urbe sequeris, Avitæ Grandævi Nominis Tui propono SOLEÆ. ILLUSTRISS. AC REVERENDISS. DOMINE. CRUCEM hæc adstipulavit sibi, quæ tantum benedicat iter, celeremque admovit SAGITTAM, ut cursu irretardabili præfixam attingas metam, arduis quidem nimis tramites isti (jam fateor) proficiunt anfra-

ctibus, utpotè in altissimum perfectionis consumatæ directi culmen, adeò ut impossibile judicarem aliquo vias difficiles hujusmodi expediri methodo, nisi aliundè natam ad excelsa etiam per tela, per ignes LASOCCIANAM mihi constaret SOLEAM. Nemo non videt per tot deciesfrata sæcula elevatam præcunctis in TE Antenatorum Tuorum dexteritatem, quæ hinc per sancta probitatis exempla, fervidissimum pro Religione, & Ecclesia zelum, indè per saluberrima consilia, per arma & victorias ad ipsa penè extollitur Sydera? (a) Eminet illustre in luce Sapientiæ, clarum, in luce ferri Insigne Tuum, in Nomine EMINENTISSIMI S. R. E. CARDINALIS NICOLAI LASOCKI, pro priori EPISCOPI Posnaniensis, tandem Uladislaviensis, Regnique Poloniæ SENATORIS Antenati Tui, qui innumeris cumulatus Meritis, & Virtutibus, præter honoris muricem, de quo in Orbe erubesceret; non habuit, NICOLAUM verè cum auro virtutum depingunt Annales, ita, ut quæcumque gesserit ad cœlestem censeren-

(a) Bonifacius Rerum Hungaricarum lib. 6. An. 1441.

rentur elevanda ſtateram, quæcunque dixerit, vel Solari radiô, vel Seraphinorum pennâ notatu digna, viderentur.

Diſcit Orbis ex claro, & famoſiſſimo Tuæ Conſanguinitatis Schemate, LASOCCIORUM SOLEÆ Excellentiam, [a] in quo legit nullam fermè fuiſſe Catedram in Polonia, quam non Tui Nominis Prælati, veluti viridarium Lilia, coronam gemmæ, Cœlos Sydera ornarent, & illuſtrarent. Elevatos ſcandit per gradus modernis etiam temporibus Inſigne Tuum in Almo Benedictinorum Ordine, ubi Illuſtriſſimas, & Reverendiſſimas THERESSIAM LASOCKA Thorumnenſem, & MARIANNAM LASOCKA Seprcenſem, Abbatiſſas, Amitas Tuas, quas meritis, exemplis, vitæque Sanctimonia præeſſe unicuique conſtat. Erudit, ita una ac altera virtutum normâ, ceteras ſui Cohortes Collegii, quomodo nam gratia in odorem ſuavitatis ſupremo Numini Virginalis Candoris explicare lilia, Avitaque SOLEA veſtigiis docet impreſſis Cæleſtem ſequi agnum, quo-

(a) Schem. Conſ. in Eccl. Broch.

cumque jerit. Verum qui Cœlum manu comprimet, aut solem qui unô arctabit climate? quæ penna laudem evolabit in illam, in quam cum colligato Sanguine BILINSCIORUM, KRAJEVVSCIORUM, LACZENSCIORUM, STRZALKOVVSCIORUM, SIEMIANOVVSCIORUM, DABSCIORVM, ZALVSCIORUM, BAGNIEVVSCIORUM, FREDRONUM, ZURAVVSCIORUM, &c. Tua ascendit SOLEA, loquantur merita Patrum in Terris Zacrocimensi, & VVysogrodiensi, propter, quæ non dubitarat Nobilitas, Terras ejusmodi, LASOCCIORUM nominare Terras. Fatetur tui nominis sublimatum decus, quamquam post fata respirans in cordibus omnium Illustrissimus ULADISLAUS LASOCKI Succamerarius Zacrocimensis, Avus Tuus, quo tacente elinguis Comitiorum facies, quo non præliante terra in bellis extiterat. Alterum Atlantem Polonus venerabatur Orbis, cujus aureum libertatis vellus in manu sui portabat Consilii. Non audeo de suavi Æternitatis excitare somno nostri delicium Sæculi, Illm̃um LUDOVI-

CUM

CUM LASOCKI Capitaneum Zacrocimensem Magiſtrum Equitum S. R. M. Patrem Tuum, qui adhuc recenti in memoria omniũ Avito SOLEATUR decore', hoſtium Patriæ ſub pede colla ténet, nempè cujus unica recreatio fuerat conterere vibratos in Caput libertatis inimicorum cuneos, Documenta vel inde poſteritati exhibuit de ſui excellentia Nominis, quod poſt experimento multiplici partam victoriis gloriam de ipſo tempore Regnantis AUGUSTI Regis Poloniæ auderet triumphare pectore alter Sarmatici Alexandri Epheſtion'. Taceo, quia vivo quodammodò ſpirant anhelitu monumenta ipſa innatam dexteritatem Illm̃i ADRIANI LASOCKI Capitanei Vvyſogrodienſis Patrui Tui, ex cujus generoſitatem animi ambiente fronte martem ſtrenuè peregeret Apelles. Quantus vir ille in vita fuerat, umbra poſt fata teſtis, quam apprehendunt ſinguli. Non memoro utpotè Tuo præſtantem cordi cum quo animam ſpiratis in unam per Nobile Fratrum Illuſtriſſimum DEMETRIVM LASOCKI Enſiferum Terræ Zacrocimenſis Fratrem tuum, qui per Heroi-

co-

corum actuum experimenta, ita excelsos in Honores dirigit gressum, ut non Antecesso-rum aberret semitis, ex illius nempè recti-tudine clarè unusquisque intueri potest, quæ sit genuina Domus excelsæ gloria. Taceo non dissimili functum generositatis acie Illu-strissimum PAVLVM, ET JOSEPHVM LA-SOCKI Capitane: VVysogrodien: Patrue-lem tuum, cujus elevatum ad magnanimā animum, præter tacita probitatis, præconia, ipsa etiam classico vocali AVGVSTI Regis Poloniæ deprædicat Aula, ornabat hanc sic strenuè, ut dum sui præsentiam haberet, satis arbitraretur orbis, fuisse ad decorem Prin-cipis. Insigne tenet argumentum Sarmati-cus Orbis, & evecti in altum Tui Nominis in Illmo MARTINO LASOCKI Pincerna Lucoviensi, qui lauro, & auro notandis suis gressibus tanto in sublime apparatu eva-sit, ut laudes Procerum sese minimè existi-ment idoneas illius attingere famam, Pane-gyrim hujus clamant ipsi lapides de parieti-bus Conventus nostri Goslinensis, quem Fundator Amplissimus Congregationi nostrę erexit, nedumque Nomine, verùm re ipsa

MAR-

MARTINVS liberaliſſimè dotavit. Verum haud pro viribus arbitra innumeros ad computum revocare Viros, quorum delineationi Orbis extenſus in paginam vix ſufficeret, æternitatis negotium poſteritati relinquo. Satis mihi interim in documentum celſitudinis LASOCCIORVM SOLEÆ Tuas inveſtigare ſemitas, ILLVSTRISS., AC REVERENDISS. DOMINE, quibus veluti Olympum in atomum, in ſtillam Oceanum, in punctum Orbem Vniverrſum Domus Tuæ Magnitudinem in Tuam coacervaſti Perſonam. Clauſiſti Illiadem in nucleo, dum omnium talenta in Te non ſecùs, ac in ſpeculo vitæ excelſæ concentratâ repreſentas. Ab annis minorenibus abunda jam cunctis indicia, quem gradum honoris aſcendere Gentilitia Tua in poſterum mereretur SOLEA, dum in ſcientiis tantum profeciſti, quantum nedum adequare, ſed ſuperare ſingulos oportuit. Ipſa ſi valeret Cracovienſis exedra Ingenii Tui ageret Oratorem, ex qua magnus Philoſophiæ Profeſſor, quidquid aſſeruiſti irretractabile, quidquid docuiſti irrefragabile, audientes ſtupebant Doctiſſi-

mi

mi, num Tu ex Aristotele laudem, num ille gloriam ex Te capesceret nemo solvit. Quocirca ad altiores Avita Tua SOLEA fecit iter ascensus, dum Accademia Culmensis Te suum Theologiæ venerata Doctorem, ubi abscondita a Sæculis Divinitatis Arcana, manifestis adeò revelasti theorematibus, ut unusquisque num illa non videris, dubitaret. Nec in hujusmodi Theatro gloriæ terminum Avitæ fixisti SOLEÆ. Inclinavit suam Stemmati Tuo Majestatem Culmensis exedra, uti Doctoris gentium, quasi Spiritu veritatem Evangelii prædicasti Populo, non minus exemplis, ac verbis iter monstrando ad Cœlestem Patriam, trahebas corda ad suum Auctorem, ignita eloquiorum catena, alter Chrysostomus, etiam cum argueres, suavis. Quoniam verò Viris Insignibus unus non sufficit Orbis, documentum Tuæ dexteritatis palàm dedit Gentibus CLEMENS XII. Pontifex Maximus hodie fæliciter Regnans, dum Te Doctorem Juris utriusque sua insignivit Authoritate. Decuit nempè talem exponenda vocari ad jura, qui sua Regula morum Leges condere exhibetur. Cum igitur

tur procul dubio mihi conſtiterit erectam ad Sublimia ILLUSTRISSIMI Tui Nominis SOLEAM, quod vivis argumentis in Te probatum video, illud Tibi SANCTISS. IGNATIJ Epiſcopi, & Martyris Tutelaris Tui propono iter, quô ad terminum fælicitatis æternæ virtuoſis collimans aſpiras progreſſibus. Congregatio Mariana in hoc tramite proſequitur votis, ut poſt ſera vitæ fortunatæ tempora, illum comprehendas Terminum, quem Avita Tua currens per virtutum Stadia arripuit SOLEA.

ITA VOVET

In recognitionem infiniti obſequij, Tui Nominis, & Honoris æſtimator perpetuus, & Servus.

Humillimus,
Fr. Caſimirus a S. Joſepho Ord. Immaulatæ Conceptionis B. V. MARIÆ.

IM-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apost.

N. Episc. Bojan. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Sacri Palat. Apost. Magist. Ord. Præd.

VITA, ET MARTYRIUM SS.MI IGNATIJ EPISCOPI ANTIOCHENSIS

Ex Simone Metaphraste.

CUM Trajanus ſumpſiſſet ſceptra Romanorum Imperii, erat Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, & nomine & re Sanctus Ignatius. Nam magno quidem Petro ſuccedit Evodius: Evodio autem Iguatius, fuitque & morum ejus & virtutis æmulatur. Huic Divino Ignatio, cum eſſet adhuc planè puer ajunt Chriſtum adhuc verſantem in mundo, ei intemeratas manus impoſuiſſe, & ad populum intnentem dixiſſe: (a) *Niſi quis ſeipſum humiliaverit ut hic puellus, non intrabit in Regnum Cælorum: & qui unum ex talibus pueris ſuſceperit in nomine meo me ſuſcipit*: qualis nam futurus eſſet ætate proficiens Ignatius, hinc oſtendens, & Apoſtolicam illius doctrinam apertè indicans. (b)

Hic ergo Divinus Ignatius, ſimul cum Polycarpo, qui Smyrnenſi præerat Eccleſiæ, fuit Diſcipulus

pulus

(a) Math. 18. (b) Ignatius Diſcipulus Joannis Evagcliſtæ.

pulus Joannis Evangeliſtæ: & cum ad eum ſolum ventitaſſet, & omnem virtutis ſpeciem, & eam maximè, quæ decet Sacerdotem, diligenter exercuiſſet, Sacerdos deindè eligitur communi ſententia omnium ſimul Apoſtolorum, & Antiochenus creatus Epiſcopus. (a) Cum autem aſſumpſiſſet Eccleſiam, & multò ſudore, & labore in ea ſeminaſſet præconium pietatis, & zelum per omnia Apoſtolicum, & doctrinam oſtendiſſet, & extitiſſet perfectus Miniſter Chriſti myſteriorum, fit quoque poſtea Martyr, beſtiis propter illum traditus, ut paulò altius repetens declarabit oratio.

Trajano enim Romanorum Imperatori, quam de Scythis habuerat, elato victoriâ, & non ſuſtinenti ſuam hucuſque ſiſtere felicitatem, ſed volenti eam ulterius producere, & Romanorum Imperio multos alios ſubjungere, adverſus Chriſtianos, ſeu adverſus pietatem bellum ei viſum eſt optimum eſſe, & expedire. (b) Nam illo quidem modo putabat ſe ſoli prodeſſe Reipublicæ ſic autem etiam Deos ſuos colere, & eos inducere, ut opem ferant adverſus hoſtes. Gravem itaque ac difficilem perſecutionem infert adverſus piam fidem, & proponit edicta per univerſam terram, quæ ejus parebat Imperio, ut vel eſſent cum eo omnes impietatis participes, vel adhuc manentes Chriſtiani, afficerentur variis ſuppliciis, & acerbis mortibus. Contigerat ut tunc Trajanus verſaretur Antiochiæ, ut qui eſſet expeditionem ſuſcepturus contra Perſas, bel-

(a) Fit Epiſc. Antiochiæ. (b) Trajanus perſequitur Chriſtianos.

bellum ibi pararet. Hic ergo ei de Divino Ignatio significatur, quod Religionem teneret Christianam, & hominibus persuaderet, ut Christum tanquam Deum honorarent:idque cum fuisset à Pilato Cruce condemnatus, & morte ut dicent ejus acta (a) fert legem de servanda Virginitate, & de contemnendis divitiis, & deliciis, & aliis, quæ sunt in vita jucunda: & quod est omnium gravissimum, quod non oporteat putare esse Deos, & nullam Imperatorum ducere rationem. (b)

Hæc postquam audivit Trajanus, Sancto statim accersito, cum una etiam adesset Senatus: tu ne es, inquit, qui diceris Deifer, qui nostra jussa ludificaris, & omnem evertis Antiochiam, & omnes ducis post Christum, qui à te prædicatur, & nec solo quidem Deos dignaris nomine? Divinus autem Ignatius, ego sum, inquit. Ille verò, & quid sibi vult, inquit, illud Deifer? cui Martyr: qui Christum, inqnit, circumfert in anima. Imperator autem, tu ergo, inquit, Christum in te ipso circumfers? Certè, inquit. Scriptum est enim: (c) *Habitabo in eis, & inambulabo* - Quid ergo nos non videmur tibi Deorum assiduè meminisse, & eos semper in anima circumferre, eosque inducere ad opem ferendam contra hostes, & per eos omnia facere, quæ suut ex animi sententia? respondens autem Divinus Ignatius: Hei mihi, inquit, simulacra gentium Deos nominas. Unus enim Deus, inquit, verus, qui cœli, & terræ, &

(a) Nota has tanti Viri leges. (b) Denm ferens. (c) 2.Cor.6

maris, & omnium quæ sunt in ipsis, est creator: unus Christus Jesus, Dei Filius Unigenitus, cujus Regni non est finis. Quem si tu agnosceres, o Imperator, & purpura ipsa, & diadema, & Thronus Regius, firmiora essent, & stabiliora.

Imperator verò, hæc, inquit, mittamus. Tu autem, si velis, inquit, o Ignatii, meæ potentiæ rem facere gratissimam, & de cætero referri in numerum meorum amicorum, hac mente mutata, diis nobiscum sacrifica: & statim (sciant ipsi omnes) te magni Jovi constituam Pontificem, & Patrem nominabo Senatus. Ad hæc Divinus Ignatius: gratias quidem præbere, o Imperator, omnibus quidem est pulchrum: maximè autem Imperatoribus, quod possint ipsi ampliùs gratificari: sed eas, quæ sunt omninò utriusque utiles, & conducibiles; eas verò, quæ possunt lædere, & maximè animam, & vehementiorem ignis gehennam ei accendere, non is qui dat solum, sed etiam qui petit, & ipse miserrimus. Admirabilis autem, o Imperator, & munifica est tua promissio. Quid enim mea refert, à te maximi Jovis constitui Pontificem, & vocari Patrem Senatus: qui sum Christi Sacerdos, & ei quotidiè sacrificio sacrificium laudis, & jam totum meipsum propero immolare, & efficere complantatum ejus mortis similitudini? Imperator verò: cuinam, inquit, festinas teipsum immolare, ei ne qui à Pontio Pilato in Crucem fuit actus? Maximè, inquit, Magnus Ignatius, ei, qui peccatum crucifixit, & ejus inventorem destruxit

dia-

diabolum, & omnem ejus potentiam per Crucem abolevit. Rursùs autem Imperator: videris, inquit, mihi o Ignati omninò recto carere judicio, & sana mente. Non enim tam apertè fuisses deceptus Scripturis Christianorum, sed cognovisses omnino, quantum sit bonum edictis parere Imperatoriis, & diis sacrificia offerre cum omnibus. (a) Ad hæc Sanctus, utens rursùs majore dicendi libertate: etiamsi bestiis, inquit, me consumpseris, etiamsi me Crucê condemnaveris, etiam si gladió, & igni tradideris, quæ sunt in tua potestate, nunquam ego patiar dœmonibus offerre sacrificium, neque enim metuo mortem, neque desidero præsentia, quæ est in potestate vestra præbere fruenda, sed sola desidero futura, & à me omne adhibere studium, ut transeam ad Christum, qui pro me est mortuus.

Propter quæ volens Senatus Martyrem arguere ignorantiæ: quid autem tu quoque, dixerunt, confiteris Deum esse mortuum? quomodo vero qui subiit mortem, eamque exercendam, poterit prodesse aliis? dii autem, & sunt Immortales, & dicuntur à nobis. Cum ex hôc occasionem Divinus accepisset Ignatius, simul, & irridendi illorum Deos, & eis aperiendi januam mysterii susceptæ carnis dispensationis, & sic deducendi ad fidem Christi cognitionis, sic verba habuit: meus Dominus, & Deus Jesus Christus, primum quidem propter nos homo factus est, & propter nostram salu-

(a) Fortitudo Beatissimi Martyris.

tem, Crucemque, & mortem, & ſepolturam ſua ſpente accepit. Cæterum rursùs tertio die reſurrexit, inimici dejecta, & proſtrata potentia, & aſcendit in Cœlos, undè venerat, nos ſimul à lapſu peccati faciens reſurgere, & rursùs introducens in Paradiſum, ex quo malè fueramus ejecti: & nos donavit bonis majoribus, quam erant ea, quæ præceſſerant. Quod autem ex iis, qui à vobis cenſentur dii, ullus tale quid fecerit, nullus omninò aſſeruerit. Nam cum iſti fuiſſent homines malefici, & multa feciſſent ad damnum, & exitum noſtræ vitæ, & ſtatus, pravam autem Deorum opinionem, & ſpeciem hominibus, qui ſunt à ratione paulò alieniores, citra ullam tationem præbuiſſent, contractis poſteà velis deceptionis, & ſcenâ ablatâ, deprehenſi ſunt id quod erant, ut qui turpiter de vita exceſſerint, & morti immortali traditi ſunt propter multorum interitum. Jupiter quidem certè, qui eſt vobis primus, & maximus Deorum, in Creta eſt ſepultus: Æſculapius verò fulmine eſt percuſſus. Sepulchrum Veneris oſtenditur in Papho, & Hercules fuit ab igne conſumptus. Nam cum tales ſint, imo verò longè deteriores, ea eis obtigerunt, quæ merentur. (*a*)

Cum hæc dicta fuiſſent ab Ignatio, Impetator ſimul cum Senatu, timens ne ſi eſſet ejus ſermo prolixior, res quidem gentilium labefactarentur, & vel non crederentur, vel haberentur ludibrio: & vera quidem floreret religio, & tolleretur nubes erro-

(*a*) Mittitur in Carcerem S. Ignatius.

erroris, quæ ei offundit tenebras: eum quidem conjicit in vincula, & in tutiſſima collocat cuſtodiâ. Ipſe autem cum totâ nocte apud ſe cogitaſſet, quonam modo eum ulciſceretur pro meritis, & quonam modo è præſenti eum vitá ſubduceret, ſtatuit eum feris tradere devorandum, ut dilaniatus ab eis Sanctus, interiret. Viſus eſt enim Imperatori hic mortis modus longè graviſſimus. Cum hanc rem ergò Senatui manè communicaſſet, ipſi quoque ejus laudaverunt ſententiam: ſed conſuluerunt, ne hæc beſtiis obiectio fieret Antiochiæ, ne agebant, ſic magis deſideratum, & glorioſum apud ſuos Cives reddamus Ignatium, martyrico fine è vita excedentem. Quamobrem dicebant oportere eum Romam abduci vinctum, & illic tradi beſtiis. Sic enim, & prolixitate itineris gravius ſubibit ſupplicium, & ſimul Romanis quinam ſit ignorantibus, videbitur eſſe peremptus, tanquam unus ex maleficis, & nec minima quidem erit ejus apud illos memoria. Cum hoc ergo placuiſſet, & in ipſum lata fuiſſet protinus ſententia, Imperator eum rursùs producit è cuſtodia, hoc ejus poſtremum faciens periculum. Et primum quidem multis bonorum promiſſis crebrò Sanctum deliniebat ac demulcebat: deindè etiam rursùs minis magis territans. (a) Poſtquam autem eum vidit nec cedere promiſſis, neque minas formidare, deſperans omninò forè ut mutaretur, ad effectum deduxit ea, quæ decreta fuerunt: & cum juſſiſſet prioribus gra-

(a) Hæc ſunt machinæ maligni dæmonis.

viora ei imponi vincula, tradit eum cohorti militari, & mittit Romam, jubens, cum advenissent Civibus dies festus, quo totus congregaretur populus, eum tradi bestiis ad communem theatri delectationem, ut convenienter ei, quod dicit D. Paulus; (a) *Ipse quoque fieret spectaculum mundo, Angelus, & hominibus.*

Martyr ergò cum ultimam illam accepisset sententiam, & Deo magno clamore, ut consentaneum erat, egisset gratias, cum magna voluptate, & lætitia sibi imponit vincula. Et Imperator quidem egreditur contra Persas cum suo exercitu: Divinus autem Ignatius, cum Ecclesiæ priùs benè esset præcatus, & gregem suum Deo commendasset cum lachrimis vinctus sequebatur milites. Deindè cum Seleuciam non cunctans, non flens, non se aliquid gravè omninò pati præseferens, sed alacribus venisset pedibus, à militibus in navem immittitur, & cum eis appellit Smyrnam. (b) Hic salutat Polycarpum Divinum Apostolum, quem Smyrnensi præfuisse Ecclesiæ, cum Ignatii fuisset condiscipulus, superiùs diximus. Eum ergò salutat, glorians, & magnificè sibi placens lætusque de vinculis. Quid enim ei poterat esse majori ornamento, quam adipisci pati pro Domino, qui eum sic dilexerat? deindè cum etiam reliquis Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis reddidisset eas, quas par erat, salutationes, quoniam multi concurrebant ex Ecclesiis Asiæ, & Civitatis ad videndum illud spectaculum,

&ut

(a) 1. Cor. 2. (b) Lætatur in vinculis.

& ut pulchro fruerentur fluento, quod fluebat ex illius lingua, ipse ea, quæ par erat, suadens, rogabat omnes, ut pro ipso orarent, ut per feras citò resolveretur ad eum quem desiderabat, & appareret antè illius faciem. Cum videret autem eos valdè perturbatos, & quodam modò pendentes ab illius anima, & non ferendum damnum existimantes separationem illius, & mortem, de iis, qui sunt Romæ, timens, ne ipsi quoque similiter affecti, non sustinerent eum videre tradi bestiis, sed manus eis afferrent, quibus mandatum erat ut eum traderent, & ei clauderent apertam januam matyrii, statuit ad eos mittere, ut ii quoque pro eo orarent, ne cursus suæ exercitationis ei impediretur: sed per feras, sicut dictum est, citò resolveretur ad dilectum Dominum. Operæ prætium est autem illius quoque meminisse Epistolæ, quæ sic habet ad verbum. (a)

Ignatius, qui & Deifer, Episcopus Sanctæ Dei Ecclesiæ, quæ est Antiochiæ, Ecelesiæ, quæ misericordiam est consecuta in majestate Patris Altissimi, & Jesu Christi solius ejus Filii, dilectæ, & illuminatæ, in voluntate ejus, qui voluit omnia, quæ sunt secundum charitatem Jesu Christi Dei nostri, quæ etiam præsidet in loco regionis Romanorum: quam soluto in Nomine Jesu Christi, secundum carnem, & spiritum unitam omni ejus mandato, impletam gratiâ Dei ad lætandum in Christo Jesu Deo. Cum Deum precatus, obtinuerim ut vide-

(a) Epistola ejus ad Romanos.

rem ſpectabiles veſtros vultus, vinctus in Chriſto Jeſu ſpero me vos ſalutaturum, ſi Dei fuerit voluntas, ut dignus habear, qui ſic ſim uſque ad finem. Meum enim ritè ſuccedit votum, ſi gratiam fuero conſecutus, ut ſortem meam accipiam ſinè impedimento. Timeo enim veſtram charitatem, ne ea me afficiat iniuria. Vobis enim facilè eſt facere, quod vultis: mihi autem difficilè eſt Deum aſſequi, ſi vos mihi peperceritis. Non enim volo vos hominibus placere, ſed Deo, ſicut etiam placetis. Non enim ego unquam habebo tempus aliud Deum aſſequendi, neque vos. (*a*) Si ſilveritis à me, ego Dei efficiar. Sin verò carnem meam amaveritis, rursùs ero currens. Potiùs autem mihi præbete ut Deo immoler: eſt enim Ara parata: ut effecti chorus in charitate, canatis Patri in Chriſto Jeſu, quod Epiſcopum Syriæ dignatus ſit Dominus, ut inveniretur in Occidente, eum accerſens ab Oriente. Pulchrum eſt à mundo occidere ad Deum, ut ad ipſum exoriamur. Nulli unquam invidiſtis, alios docuiſtis. Ego autem volo illa quoque eſſe firmâ ac ſtabiliâ, quæ vobis mandatâ didiciſtis. Solum rogate, ut dentur mihi vires à Domino, ut non ſolùm dicar Chriſtianus, ſed etiam inveniar, & dici poſſim: & tunc videbor eſſe fidelis, quando mundo non apparebo. Nihil enim quod apparet, eſt æternum. (*b*) *Quæ enim cernuntur, ſunt ad tempus: quæ autem non videntur, æterna.*

Ego

(*a*) Deſiderium ejus ardentiſſimum patiendi propter Chriſtum.
(*b*) 2. Cor. 4.

Ego ſcribo Eccleſiis, & mando omnibus, quod ego lubens pro Chriſto morior, ſi vos non prohibueritis. Rogo vos, ne ſit intempeſtiva veſtra in me benevolentia: ſinite me devorari à feris, per quas licet Deum conſequi. Sum Dei frumentum, & molor per dentes ferarum, ut Chriſti inveniar mundus panis. Feris potiùs blandimini, ut fiant mihi ſepulchrum, & nihil relinquant mei corporis, ne poſitus fiam gravis. Tunc ero verus Chriſti Diſcipulus, quando nec corpus quidem meum adhuc videbit mundus. Pro me Chriſto ſupplicate, ut per hæc inſtrumenta, munda inveniar hoſtia. Non ſicut Petrus, & Paulus vobis præcipio. (*a*) Illi Apoſtoli, ego condemnatus: illi liberi, ego autem ſervus uſque in hodiernum diem. Sed ſi volueritis, ego libertus Jeſu Chriſti, & exurgam in ipſo liber. Nunc diſco vinctus nihil mundanum cupere, aut inane, à Syria uſque ad Romam ipſam pugnans cum beſtiis, à terra, & mari noctu, & diù vinctus decem lepardis, qui ſunt cohors militaris: qui etiam ſi beneficio afficiantur, fiunt deteriores. In eorum verò iniuriis magis diſco. Profuerint feræ mihi paratæ, & opto, ut eæ mihi paratæ inveniantur: quibus etiam blandiar, ut me protinus devorent, non ſicut quoſdam timore effectæ non tetigerunt. Quodſi eæ etiam invitæ noluerint at ego tranſibo. Ignoſcite mihi: ſcio quid mea interſit. Nunc incipio eſſe Diſcipulus, ut Jeſum Chriſtum aſſequar. Ignis & Crux, beſtiarum irruptiones diſ-

ſectio-

(*a*) Humilitas tanti Viri.

sectiones, divisiones, ossium dispersiones, amputatio membrorum, trituræ totius corporis, & diaboli tormenta super me veniant, dummodo Jesum Christum assequar. Nihil mihi procederunt mundi jucunditates, neque Regna hujus sæculi. Melius est mihi mori in Christo Jesu, quam Regnum optinere usque ad fines terræ. (a) *Quid enim prodest homini, si totum mundum lacretur, & suæ animæ patiatur detrimentum*; illum quæro, qui pro nobis est mortuus.

Ignoscite mihi, fratres: ne sitis mihi impedimento, quò minùs vivam, neque me velitis mori. Sinite me puram lucem accipere. Cum illuc enim venero, ero homo Dei. Permittite mihi, ut sim imitator Passionis Christi. Si quis ipsum in seipso habet, intelligat quod volo, & mei moveatur commiseratione, cum sciat, quæ me constringant. Princeps hujus sæculi me vult diripere, & corrumpere meam in Deum sententiam. Nemo ergo ex iis, qui adsunt, ei opem ferat. Estote mei potiùs, hoc est Dei ne loquamini Christum Jesum, mundum vero desideretis. Ne habitet inter vos invidia, Nec si ego quidem præsens vos rogem, parete mihi: iis autem parete potiùs, quæ ego ad vos scribo. Ex iis enim, quæ scribo ad vos mori cupio. (b) Meus amor est Cruci affixus, & non est in me ignis amans mundanæ materiæ: aqua autem potiùs viva, & in me loquens, quæ intus mihi dicit: veni ad Patrem. Non delector nutrimento corruptionis, neque vo-

lu-

(a) Mat. 16. (b) Nota Verba verè ignea.

luptatibus hujus vitæ. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est Caro Jesu Christi Filii Dei, qui postea natus est ex semine David, & Abraam: & potum Dei volo, ejus sanguinem, qui est charitas, in quam non cadit interitus, & vita perennis. Non ampliùs volo vivere, sicut homines, hoc autem erit si vos volueritis. Velitis ergo, ut vos quoque Deus velit. Brevibus literis peto à vobis: mihi credite. Jesus vero Christus vobis aperiet, qui est os non mendax, quod vera dico petendo, ut consequar. Non secundum carnem ad vos scribo, sed secundum Dei scientiam. Si passus fuero memento te in oratione vestra Ecclesiæ Syriæ, quæ pro me, Pastore Deo utitur. Solus ipsam Jesus Christus visitabit, ejusque curam geret, & vestra charitas. Salutat vos mens spititus, & charitas Ecclesiarum, quæ me susceperunt in nomine Jesu Christi, non tanquam transeuntem. Etenim quæ ad me non attinebat in via, quæ secundum carnem me deduxerunt in Civitatem. Scribo autem hæc ad vos è Smyrna per Ephesios qui digni sunt, qui beati judicentur. Esto verò mecum cum multis aliis Crocus quoque nomen desiderabile eorum, qui mecum convenerunt è Syria, ad gloriam Dei. Hæc ad vos scripsi nono calendas Septembris. Valete perpetuo fratres in tolerantia Jesu Christi Amen. (*a*)

Sed est hæc quidem Epistola. Ipse autem paulò post è Smyrna deductus à militibus: & cum appul-

(*a*) In itinere confirmat Ecclesias.

pulliſſet Troadem , & Neapolim, tranſiit pedes per Philippos, & Macedoniam, eas, quæ ſunt in via, inviſens Eccleſias, & in eis docens, exhortans, diſſerens, Fratres, qui erant paulò ſimpliciores, & imbecilliores, confirmans, & efficiens, ut omnes vigilarent, & eſſent ſobrii. Cum verò tranſiſſet Epirum, & mare tranſmiſiſſet Adriaticum, & Tyrrhenum, appellit Puteolos. Hoſpitio autem exceptus ſimul cum militibus, ab iis, qui illic erant fidelibus, cum eos quoque valere juſſiſſet in Domino, venit Romam, & ſiſtitur ante Præfectum Urbis. Cum is ergò Deiferum vidiſſet Ignatium, & literas accepiſſet Imperatorias, dies autem adveniſſet opportunus, quando erat dies feſtus, & celebris Romanorum, ducit eum in medium theatrum, ſicut jubebat improbum edictum Imperatoris. Cum ergo univerſa Civitas ſederet in theatro, cum ardenti ſpiritu, & oculis jam ſpectaculum amantibus, utpotè quod jam fama ubique annuntiaſſet, Syriæ Epiſcopum cum feris eſſe pugnaturum: converſus ille ad populum cum quodam generoſo, & inflexibili animo, ut qui gloriaretur, & ſibi placeret propter eam, quæ pro Christo ſuſcipi cernebatur, ignominiam: Viri, inquit, Romani, & præſentis hujus certaminis ſpectatores: non hæc mihi fiunt, ut ſuam pœnas alicujus maleficii, aut ſceleratæ alicujus actionis, ſed ut Deum aſſequar: cujus quidem teneor deſiderio, & quem cupio inſatiabiliter. Sum enim ejus frumentum, & molor per dentes beſtia-

rum, ut fiam ei purus panis. (a) Hæc dixit, & dimissi leones eum statim delacerarunt, & devorarunt, à solis asperioribus illius ossibus abstinentes, ei reverà impletis votis, ut bestiæ essent ejus sepulchrum, & nihil reliquum esset ejus corporis, utpotè quod Deus pluris faceret famuli preces, & amorem ferre usque ad finem, quam efficere, ut non tangeretur à leonibus, ut suo nomini tribueret gloriam.

Postquam autem hæc evenerunt, finemque acceperunt, qui Romæ erant fideles, ad quos adhuc vivens Divinus Ignatius scripserat, postquam dimissum erat theatrum, convenientes, cum ossa id cupientibus manibus sustulissent, & ea honorificè ac reverenter composuissent, ea deposuerunt in loco insigni extra Urbem Vigesimo Mensis Decembris. (b) Hæc posteà deportata sunt in Patriam Martyris Antiochiam: & quæ intercedunt Civitates; duplicem accepere benedictionem, & priùs, quando Martyr vinctus ducebatur Romam, ex Antiochia: & nunc quando cum præclaris trophæis illinc referebatur; tanquam apes favum illum circumvolantes. Atque dicitur quidem, quod post martyricam ejus consummationem, lugentibus illius privationem iis, qui Romæ erant fideles, & nullam accipientibus doloris consolationem, & vacantibus sepulchralibus hymnis, & vigiliis, ipse in somnis apparens, & eos quasi amplectens, qui scili-

(a) A' leonibus devoratur, sicut optarat.
(b) Ex ossibus ejus Civitates benedictionem accipiunt.

ſcilicet ſeipſos præbuerunt dignos illius conſuetudine, luctum ejus effecit facilem, & leniorem, & doloris ſedavit vehementiam. Alii rursùs dixerunt, ſe vidiſſe eum ſudore diffluentem, tanquam qui nuper reſpiraſſet à laboribus decertationis, & precantem ſalutem Civitati, & omnibus fidelibus. (*a*)

Hic quidem fuit exitus Deiferi Ignatii: hæc ſunt certamina: hi ſunt inſani ejus amores in Chriſtum. Et fert teſtimonium Ireneus Lugdunenſis Epiſcopus, vir magni faciendus, qui Divini Ignatii crebrò meminit. Quin etiam Polycarpus, qui Smyrnenſis præerat Eccleſia, qui cum eo ventitabat ad Joannem Evangeliſtam, & Theologum, & cum captivus Romam duceretur Antiochia, eum ſicut diximus, ſalutavit, hæc alicubi ſcribens in ſuis Epiſtolis: Rogo vos fratres, ut obediatis, & omnem exercitetis tolerantiam, quam vidiſtis oculis non ſolùm in Beatis Ignatio, Rufino, & Zoſimo, ſed etiam in multis aliis ex vobis, & in ipſo Paulo & iis, qui cum ipſo crediderunt: quod ii omnes non in vanum cucurrerunt, neque in vanum laboraverint. (*b*) *Sed in fide, & juſtitia, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Quamobrem ſunt etiam in loco, qui eis debetur à Domino, cum quo paſſi ſunt. Non enim præſens ſæculum dilexerunt, ſed Chriſtum, qui pro nobis mortuus eſt, & reſurrexit. Sic ergo ſitus erat Divinus Ignatius in ſacris illorum animis: & cum deſideraſſet beſtiarum ventres ſibi ſepulchrum effi-

(*a*) Lib. 6. adverſus hæreſes (*b*) Philip. 2.

efficere, in piorum Virorum magis habitat animis. (*a*)

Imperator autem Trajanus cum de Divino hoc Ignatio postea didicisset, & quam fortiter peregisset hoc certamen Martyrii, & quod, ut ipse tulerat sententiam, à bestiis fuisset devoratus, & multa etiam audivisset de Christianis, qui erant in regione, quod scilicet nihil præter leges facerent, neque rem ullam agerent impiam: sed diluculo surgentes, & Christum adorarent tanquam Dei Filium, (*b*) & omnem exercerent abstinentiam in cibo; & in potu, & nihil tangerent ex iis, quæ lex prohibet. Cum ille, inquam, hæc audivisset, & ductus est pœnitentia eorum, quæ facta fuerant, & dicitur tale decretum proposuisse, ut gens quidem Christianorum exquireretur, & omnibus esset cognita: inventi autem non interficerentur, sed neque Magistratus gererent, neque susciperent, ullam Reipublicæ administrationem. Sic non vita solum Ignatii, sed jam mors etiam fuit multorum bonorum conciliatrix; gloriatio fidei, quæ est in Christo augmentum pietatis, adhortatio ad eos, qui sunt ex Deo, labores, & contemptio ejus Vitæ, quæ est ad tempus, & continentia ab iis, quæ sunt noxia, & studium Vitæ puritatis: gratiâ, & benignitate Domini Nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, & Sancto, & Vivifico Spiritui nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Plinius Secundus hac ad eum scripsit.

(*b*) Nota abstinentiam Christianorum.

F I N I S.